Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8342
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Lectio Sancti Iacobi Apostoli

In illo tempore Heres parvulus cum nihil differat a servo cum sit dominus omnium sed sub tutoribus et actoribus est usque ad prefinitum tempus a patre. Et nos cum essemus parvuli sub elementis mundi eramus servientes. Ut ubi venit plenitudo temporis misit deus filium suum factum ex muliere factum sub lege ut eos qui sub lege erant redimeret ut adoptionem filiorum dei recipeamus. Quoniam autem estis filii dei misit deus spiritum filii sui in corda nostra clamantem abba pater. Ita iam non est servus sed filius et heres per deum. Gratia domino nostro forma prefulsit hominibus diffusa est gratia in labiis tuis. Eructavit cor meum verbum bonum dico ego opera mea regi lingua mea calamus scribe velocis scribentis. Alia. Dominus regnavit decorem induit et induit dominus fortitudinem et precinxit se virtute. Et illo tempore erat Iuxta

Ioseph et maria mirantes super his quae dicebantur de illo et benedixit illis simeon et dixit ad mariam matrem eius. Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in israel et in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat anna prophetissa filia phanuel de tribu aser. Hic processerat in diebus multis et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et haec vidua erat usque ad annos octuaginta quattuor qui non discedebat de templo ieiunis et obsecrationibus servientes die ac nocte. Et haec ipsa hora supveniens confitebatur domino et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem israel.

16